DE
ARRIANO THUCYDIDIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

E. MEYER

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.
TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.
MDCCCLXXVII.

RICCARDO FOERSTER

SACRUM ESSE

VULT

AUCTOR.

Cum Thucydides inter omnes omnium temporum historicos principem teneat locum, permultos in eius librorum studium incubuisse non mirum est. Sed hoc studium aliud aliorum fuit. Hi enim[1]) summa indole praediti sane ad ingenium suum exercendum eius libros attente perlegerunt, postea tamen suas quisque vias suasque rationes scribendi secuti sunt. Illi vero ut erant tardi ingeniis, ea quae ex eius libris perceperant, in sua quoque scripta transtulerunt. Hi sunt imitatores nominandi, sed horum quoque genera sunt duo. Nam alii Thucydideam argumenti tractationem, alii elocutionem imitati sunt. Atque ultimorum quidem, quos omnes enumerare longum est, in numero etiam Arrianus habendus est. Quem quanto opere Thucydideam elocutionem in libris suis secutus sit, in quaestionem vocare nunc mihi est propositum. Atque rem meam ita aggrediar, primum ut de structuris, deinde de collocationibus dicam, postremo vocabula, locutiones, enuntiata, quae Arrianus ex Thucydide plane deprompsit, in medium proferam.

Cap. I.

De structuris.

Omnes Graecae linguae scriptores classicos quamquam in universum communem quendam struendi usum habent, tamen saepius inter se differre atque suam quemque viam inire gnarum illorum elocutionis non fugit. Ac Thucydides, qui illis adnumerandus est, communes illas struendi regulas secutus tamen multis in locis structuras partim novas invenit, partim iam prius inventas quidem, sed minus frequentes usurpavit ita, ut latius paterent. Has Thucydideas structuras quo modo Arrianus imitatus sit, iam breviter exponamus.

---

[1]) Ut Demosthenes, quem saepissime Thucydidis libros descripsisse Lucianus narrat.

Ac primum in omnibus fere scriptoribus neutrum singularis adiectivorum numeri, ubi cum *γίγνεσθαι* vel *εἶναι* vel simili verbo conjunctum exstat, saepissime subiecto omisso pro substantivo positum comparere inter omnes constat. Pluralis vero neutrum cum eadem vi apud Thucydidem solum saepius invenitur, ut elucet e locis 1. 10. 3 *ὑποδεέστερα ἦν*, 2. 3. 3 *ἑτοῖμα ἦν*, 8. 105. 2 *ἀφανέστερα ἦν*, 1. 7. 1 *πλωϊμωτέρων ὄντων*, 4. 20. 2 *ἀκρίτων ὄντων*, 1. 59. 2., 2. 56. 1., 2. 72. 1., 2. 98. 1., 3. 2. 3., 6. 25. 2. Ex iis vero, qui post illum arte scribendi floruerunt, sane hunc usum, quantum scio, unus alterve semel vel bis imitatus est,[1]) Arrianus autem solus in deliciis habuit, ut demonstrant exempla plurima, anab 1. 1. 11 *εὐπορώτερα ἦν*, 2. 8. 10 *ἱππάσιμα ἦν*, 2. 10. 1 *εὐεφοδώτερα ἦν*, 2. 26. 3 *ἐπιμαχώτερα ἐφαίνετο*, 3. 6. 5 *ὕποπτα ἦν*, 6. 21. 2 *πλόϊμά ἐστιν*. — Eodemque modo adiectivorum verbalium[2]) neutra pluralis Thucydides primus pro neutris singularis adhibet. Componit enim 1. 86. 2 *παραδοτέα*, *διακριτέα*, *τιμωρητέα ἐστίν*, 1. 79. 2., 1. 88., 6. 50. 4 *πολεμητέα*, 1. 118. 3., 2. 3. 2 *ἐπιχειρητέα*, 1. 93. 3 *ἀνθεκτέα*, 1. 72. 1 *παριτητέα*, 6. 25. 2 *πλευστέα ἐστίν*. Eumque sequitur Arrianus, cum dicit in anab 1. 1. 8 *διακινδυνευτέα ἐδόκει*, 1. 24. 1 *ἀμελητέα εἶναι* (1. 7. 4.), 2. 26. 4 *φυλακτέα ἐστίν*, 3. 21. 6 *διωκτέα ἐφαίνετο*, 5. 9. 2 *κινητέα ἐδόκει*, 6. 19. 3 *ὁρμιστέα εἶναι*.

Consuetudinis illius, e qua et adiectiva et participia solo articulo anteposito vim substantivorum accipiunt, vetustissimum testem novimus Thucydidem, apud quem legitur 6. 55. 4 *τὸ ξύνηθες*, 3. 83. 1. *το εὔηθες*, 2. 63. 2 *τὸ ἄπραγμον* 2. 87. 3 *πρὸς τὸ ἐμπειρότερον αὐτῶν τὸ τολμηρότερον ἀντιτάξασθε* (adiectiva), 1. 63. 1 *τὸ μὲν δεδιὸς* — *τὸ δὲ θαρσοῦν*, 1. 42. 2 *τὸ μέλλον τοῦ πολέμου*, 2. 59. 2 *τὸ ὀργιζόμενον τῆς γνώμης*, 7. 68. 1 *τὸ θυμούμενον*, 6.

---

[1]) Invenitur exemplum unum in Xenophontis anabasi 3. 4. 49 *βάσιμα ἦν* et *ἄβατα ἦν*.

[2]) Huius quoque usus exemplum unum habes in Xenophontis anabasi IV., 6, 17 *βατὰ καὶ τοῖς ὑποζυγίοις ἔσται*.

24. 1 τὸ ἐπιθυμοῦν, 5. 9. 5 τὸ ἐπιόν, 1. 142. 4 ἐν τῷ μὴ μελετῶντι ἀξυνετώτεροι ἔσονται et alia participia. Hac loquendi ratione scriptorem ea quae sentit, paulo accuratius quam nomine substantivo exprimere posse quis est qui neget? Itaque cum multi alii posteriores, qui in Thucydideae elocutionis studium incubuerunt, tum Arrianus hanc loquendi rationem suam fecerunt. Quod demonstrant anab 4. 30. 2 ἐν τῷ ἔτι διαμέλλοντι τῶν σπονδῶν, 5. 7. 5 τὸ τεταγμένον ἐν τῷ δρωμένῳ ὅμως οὐκ ἄπεστιν, 6. 6. 2 τὸ ὑπολειπόμενον τῆς ἡμέρας, Tact. 36. 4 τὸ κάλλος τοῦ δρωμένου (participia). Anab 2. 17. 4 μετὰ τοῦ ἐς τὰ οἴκοι ἀσφαλοῦς, 5. 23. 6 τὸ ἐκλιπὲς τοῦ χάρακος, 6. 4. 3 ἐν τῷ ἐνδεεῖ τῆς παρασκευῆς, 6. 9. 5 τὸ ἄτοπον τῆς τόλμης, Tact. 40. 6 τὸ ἀκριβὲς τοῦ ἔργου (adiectiva).

Infinitivus anteposito genitivo articuli cum vi consecutionis in ceteris quidem raro legitur, Thucydidi autem summam praebuit delectationem; invenitur enim in eius libris saepissime, ut 1. 4 τὸ λῃστικὸν καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης, τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι 1. 23. 4., 2. 4. 1., 2. 22. 1., 2. 22. 2., 2. 32., 2. 75. 1., 2. 75. 3., 2. 93. 3., 5. 72. 3., 8. 14. 1., 8. 39. 3. Nec minus Arrianus noster ab hac structura non abhorruit (anab 1. 1. 9., 2. 9. 1., 2. 19. 2., 5. 7. 3., 5. 7. 5. Ind. 13. 5., 13. 11., 40. 8., 16. 9. Tact 2. 4., 9. 2., 35. 2[1].)

Illas si contemplor structuras, quae exstant in Th. 8. 33. 2 παρὰ τοσοῦτον ἐγένετ' αὐτῷ μὴ περιπεσεῖν τοῖς Ἀθηναίοις, 8. 76. 3 (πόλις τῶν Σαμίων) παρ' ἐλάχιστον δὴ ἦλθε τὸ Ἀθηναίων κράτος τῆς θαλάσσης ἀφελέσθαι aliasque, cum neque easdem neque similes in ceteris scriptoribus classicis invenerim, a Thucydide primo usurpatas esse persuasum habeo. Quae quomodo a nostro exscriptae sint satis patet ex anab. 1. 9. 3 παρ' ὀλίγον ἐλθόντας ἀφανίσαι τὴν πόλιν, 1. 21. 3 παρ' ὀλίγον δὲ (δὴ

[1]) Latini scriptores similiter ad finem indicandum usurpaverunt genitivum gerundii, ut Terent Ad. 2. 4. 6 ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existumes Tac. annal. 2. 59. cf. Em. Hoffmannum in Fleckeiseni annalibus philologicis 109, p. 545 sq.

secundum Th.?) ἦλθε καὶ ἁλῶναι ἡ πόλις, 1. 22. 7 παρ' ὀλίγον ἦκεν ἁλῶναι ἡ πόλις, εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἀνεκαλέσατο τὸ στράτευμα. Sed in hoc proximo exemplo etiam altera nova constructio occurrit. Proprie enim auctori ita scribendum erat παρ' ὀλίγον ἦκεν ἁλῶναι ἡ πόλις, καὶ ἑάλω ἄν, εἰ μὴ et cet.; (urbs paene capta est, et profecto capta esset, nisi Alexander receptui cecinisset). Eandem figuram, quae vulgo ἔλλειψις vocatur, nusquam inveni nisi in Th. 3. 74. 2 ἡ πόλις ἐκινδύνευσε διαφθαρῆναι (καὶ διεφθάρη ἄν cogitatione supplendum est) εἰ ἄνεμος ἐπεγένετο τῇ φλογὶ ἐπίφορος. Itaque haec verba Thucydidea Arrianus in conscribendo illo loco in animo habuisse mihi videtur.

Arr. anab 3. 17. 1. οὐκ ἄλλως παρήσειν ἔφασαν τὴν ἐπὶ Πέρσας ἰόντα ξὺν τῇ δυνάμει ἢ λαβεῖν ὅσα καὶ παρὰ τοῦ Περσῶν βασιλέως ἐπὶ τῇ παρόδῳ ἐλάμβανον structura verborum est inusitata atque obscurior. Nam proprie dicendum erat ita: οὐκ ἄλλως παρήσειν ἔφασαν τὴν ἐπὶ Πέρσας ἰόντα ξὺν τῇ δυνάμει ἢ εἰ λάβοιεν ὅσα et cet. Hanc structuram Arrianus non ipse invenit. Sed mea quidem sententia, cum apud ceteros scriptores illam struendi rationem non cognoverim, sumsit ex Th. 4. 66. 2., ubi legitur νομίζοντες ἐλάσσω σφίσι τὸν κίνδυνον ἢ τοὺς ἐκπεσόντας ὑπὸ σφῶν κατελθεῖν, quae verba idem significant atque: νομίζοντες ἐλάσσω σφίσι τὸν κίνδυνον ἢ εἰ οἱ ἐκπεσόντες ὑπο σφῶν κατέλθοιεν.

Ex pronomine indefinito τὶς, τὶ genitivus substantivi pendet rarissime; neque haec structura ulli scriptori classico placuit excepto Thucydide, apud quem hae locutiones leguntur 1. 5. 1 τὶ δόξης, 7. 69. 2. λαμπρότητός τι, 2. 49. 6 τὶ δυνάμεως. Similia habes apud Arrianum in anab 2. 10. 3 τὶ τῆς φάλαγγος, 2. 10. 6 τὶ φιλοτιμίας.

Nunc sequantur nonnulla singula verba, quae alienam a communi usu structuram in utroque scriptore exhibent.

Ἐπεξιέναι ubique fere absolute positum a Thucydide et Arriano singulis locis cum accusativo objecti structum est, Th. 3. 82. 7 ἐπεξιέναι τὰς τιμωρίας.

Arr. anab 1. 9. 6 ἐπεξιέναι ἀπεχθείας.

Ex locutione ὠφελεῖσθαι ἔκ τινος, quae Th. 6. 12. 2 legitur, Arrianus facit structuras ἡ ἐκ τῶν Περσῶν ὠφέλεια 1. 19. 3. anab, ἐκ τῶν νεῶν ὠφέλεια ἦν anab 2. 22. 6.

Th. 4. 85. 1 σφαλέντες τῆς δόξης.
Arr. anab 2. 6. 4 τοῦτο ἔσφηλε Δαρεῖον τῆς γνώμης.
Th. 2. 79. 4 θαρσήσαντες τοῖς προσγιγνομένοις.
Arr. anab 4. 26. 1 θαρρήσαντες τοῖς μισθοφόροις.

Verbum πυνθάνεσθαι apud omnes scriptores accusativos fere tantum neutrius generis, ut ταῦτα, πάντα et cet. regit; sed Thucydides etiam βοήθειαν, παρασκευήν, ναυμαχίαν, νίκην πυνθάνεσθαι saepius dixit. Et id loquendi genus secutus Arrianus πυνθάνεσθαι τοὺς νόμους dixisse mihi videtur.

Ὑπερφέρειν cum genitivo obiecti, qui est usus rarissimus, invenitur in Th. 1. 81. 1 τοῖς ὅπλοις αὐτῶν ὑπερφέρομεν et in Arr. anab 5. 4. 2 τῶν ἄλλων ποταμῶν πολύ τι κατὰ μέγεθος ὑπερφέρουσιν.

Cap. II.

De collocationibus.

Ut in structuris ita quoque in collocandis vocabulis suam quemque rationem scriptorem sequi inter omnes constat. Itaque etiam apud Thucydidem saepissime verborum talem ordinem, qualis in ceteris auctoribus classicis aut nunquam aut certe rarissime invenitur, deprehendimus. In hoc genere quomodo eum Arrianus secutus sit, nunc videamus.

Ac primum quidem locutiones, quae cohaerent inter se atque respondent, aliis vocabulis disjunguntur a ceteris scriptoribus classicis raro, Thucydides autem id nunquam fere omisit, id quod demonstratur locis 1. 69. 1 ἀποστεροῦντες οὐ μόνον τοὺς ὑπ᾽ ἐκείνων δεδουλωμένους ἐλευθερίας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὑμετέρους ἤδη ξυμμάχους pro

ἀποστεροῦντες ἐλευθερίας οὐ μόνον — ἀλλὰ καὶ — 3. 70. 2 ἀφικομένης Ἀττικῆς τε νεὼς καὶ Κορινθίας pro Ἀττικῆς τε καὶ Κορινθίας νεώς, 1. 91. 6., 3. 4. 3., 8. 76. 2., 8. 85. 1., 4. 59 aliisque. Quam collocandi regulam quasi Thucydideam Arrianus semper fere imitatus est. Scribit enim in anab 1. 1. 5 Φιλίππους πόλιν ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντα καὶ τὸν Ὄρβηλον τὸ ὄρος pro πόλιν καὶ τὸν Ὄρβηλον τὸ ὄρος ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντα; eademque collocatio exstat in anab 1. 18. 1., 1. 18. 8., 1. 19. 8., 2. 1. 1., 2. 13. 1., 2. 22. 7., 3. 3. 3., 3. 5. 7., 3. 9. 5., 3. 22. 6., 4. 16. 5., 4. 19. 1., 4. 19. 6., 5. 2. 5., 5. 9. 4., 5. 24. 3., 5. 25. 1., 6. 25. 1. et cet.

Saepissime Thucydides inter praepositionem et ex ea pendens substantivum cum articulo coniunctum interponit genitivum cum articulo, ut 1. 32. 2 μετὰ τῆς ξυμμαχίας τῆς αἰτήσεως, 1. 65. 2 μετὰ τῆς Ποτιδαίας τὴν ἀποτείχισιν 1. 84. 3., 3. 46. 3., 3. 14., 7. 32. 1., et cet.[1]) Hunc collocationis modum ab aliis scriptoribus classicis fere spretum Arrianus tam saepe in libros suos transtulit, ut perpauci loci occurrant, in quibus contraria exstet collocatio (anab 5. 10. 1 πρὸς τῇ ὄχθῃ τοῦ Ὑδάσπου, — Ind. 23. 1, 24. 2 ἐπὶ τῇσιν ἐκβολῇσι τοῦ ποταμοῦ, 29. 9, 34. 4, 41. 1. — Cynaeg 21. 2, 20. 3). Reliquis vero locis semper illam proprietatem Thucydideam usurpavit; cf. anab. 1. 13. 3 ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ τῇ ὄχθῃ 1. 18. 8., 1. 13. 7., 1. 19. 7 ἀπὸ τοῦ Μαιάνδρου ποταμοῦ τῶν ἐκβολῶν, 2. 16. 6., 3. 6. 4., 4. 4. 4., 4. 16. 4., 4. 16. 5., 5. 2. 1., 5. 6. 3., 5. 9. 1., 5. 15. 3., 5. 19. 4., 6. 1. 1., 6. 1. 4., 6. 4. 1., 6. 13. 1., 6. 16. 5., 6. 21. 2., 6. 22. 3., 6. 26. 1., 6. 29. 1., 7. 18. 1., 7. 27. 1. — Ind. 15. 9., 18. 1., 19. 4 ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ τὰς ὄχθας, 19. 6., 19. 9., 20. 10., 33. 10., 36. 1., 40. 11., 42. 8., 42. 9., 42. 10., 43. 10., 43. 13. — Peripl: 12. 4., 13. 2., 15. 3. — Tact. 42. 5.

In Thucydideis locutionibus κίνησις αὕτη μεγίστη ἐγένετο 1. 1. 2, ναυμαχία αὕτη μεγίστη γεγένηται 1. 50. 2

---

[1]) Apud Antiphontem solum similem inveni collocationem Tetralog Α. β, 3: εἰ γὰρ διὰ τῆς ἔχθρας τὸ μέγεθος εἰκότως ὑφ' ὑμῶν καταδοκοῦμαι.

(coll. 1. 55. 2., 2. 31. 2., 3. 113. 6., 5. 60. 3., 6. 31. 1., 7. 29. 5) pronomen, quod locum subiecti tenet, semper inter substantivum praedicativum et ex eo pendentem superlativum positum est; qua re cum primo enuntiati loco stent, substantiva illa maiorem accipiunt vim ita ut pro genitivo pluralis posita esse videantur. Ut quae dixi explicem, Th. 1. 1. 2 *κίνησις αὕτη μεγίστη ἐγένετο* positum est pro *αὕτη ἐγένετο μεγίστη κίνησις* atque eandem vim habet ac si scriptum esset *κινήσεων αὕτη μεγίστη ἐγένετο.* Eodem modo semel, quantum memini, Arrianus verba posuit in anab 3. 15. 2 *ἱππομαχία αὕτη καρτερωτάτη ξυνέστη.*

Thucydides cum vel praepositionem et ex ea pendens verbum vel articulum et verbum particula aliqua, quae ad verbum solum pertinet, disjungere non soleat, has facit collocationes, 1. 78. 1 *οὐ περὶ βραχέων* pro *περὶ οὐ βραχέων*, 6. 68 *οὐκ ἐν πατρίδι* pro *ἐν οὐ πατρίδι*, 1. 5. 1 *οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων* pro *τῶν οὐκ ἀδυνατωτάτων* (cf. 6. 10. 2., 8. 100. 3). Idem facit Arrianus cum scribit in anab 1. 9. 3 *οὐ διὰ μακροῦ* pro *διὰ οὐ μακροῦ*, 1. 18. 7 *οὐ μεμελετηκότι τῷ ναυτικῷ* pro *τῷ οὐ μεμελετηκότι ναυτικῷ* (cf. 2. 11. 5., 4. 2. 5., 4. 19. 2., 7. 23. 8. Semel tantum exstat *ἐς οὐ πολύ* 7. 7. 5).

Praepositionem *ἕνεκα*, cum plura regat nomina, Thucydides post primum fere substantivum ponit, ut 1. 5 *κέρδους ἕνεκα καὶ τροφῆς* (cf. 1. 7. 1., 1. 30. 3., 1. 41. 3., 1. 57. 4 et cet.). Ac similiter Arrianus interdum hanc praepositionem locat, cf. anab 3. 10. 4 *τῶν λογισμῶν ἕνεκα καὶ τοῦ ὑπερόγκου* (3. 26. 1).

Pro locutione *εἰσὶν οἳ καὶ* et similibus, quales in Thucydidis libris saepissime exstant (cf. 2. 49. 5., 1. 65. 2., 6. 88. 5., 7. 13. 3) proprie scribendum erat *εἰσὶ καὶ οἵ.* Atque hanc collocationem imitatur Arrianus in anab. prooemio *ἔστι δὲ ἃ καί.*

Cap. III.

Omnibus quae modo diximus vel postpositis vel plane neglectis ea, quae nunc sequuntur, sola ad declarandum sufficerent, quanto opere Arrianus ex Thucydide pendeat;

neque demonstrabunt solum, singula vocabula ex imitatione Thucydidea in Arriani scripta fluxisse sed etiam hunc innumerabiles locutiones et, id quod maximum est, enuntiatorum saepius magnas partes ex illo sumsisse.

Quae cum ita sese habeant, nunc primum singula vocabula, quae singularem in utroque similitudinem praebent, in quaestionem vocemus.

A. De singulis vocabulis.

a) **Substantiva.**

Atque initium faciam ab iis, quae apud Thucyd. et Arr. significationem a vulgari alienam induerint.

In oratione ad milites habita Alexander memoriam fortissimorum Graecorum, qui cum Xenophonte clarissimam illam expeditionem fecerant, revocat anab. 2. 7. 8 *λέγεται δὲ καὶ τῶν ἅμα Ξενοφῶντι μυρίων ἐς μνήμην ἐλθεῖν, ὡς οὐδέν τι οὔτε κατὰ τὸ πλῆθος οὔτε κατὰ τὴν ἄλλην ἀξίωσιν σφίσιν ἐπεοικότες* et cet. Vocabulum *ἀξίωσις*, quod hoc loco exstat, non vulgarem notionis usum (i. e. postulationis) praebere, sed pro *ἀξίωμα* (i. e. dignitas, Werth, Würde, würdevolle Stellung) positum esse patet. Neque vero hic solum sed ubique fere hanc significationem cerni is qui attente scripta eius perlegit, facile intelliget. (cf. anab. 3. 26. 4., 5. 27. 3., 6. 12. 2., 7. 5. 4., 7. 12. 7. — Tactic. 34. 2.[1]). Sed unde hunc habet usum Arrianus? Certe ex Thucydide, cum alii Graeci scriptores classici nunquam, quantum memini, huius in hoc vocabulo significationis praebeant exempla. Apud hunc autem sunt frequentissima. Unum ex multis proferam; 2. 34. 3. de fortissimorum Atheniensium sepultura locutus *ἐπειδὰν*, inquit, *δὲ κρύψωσι γῇ ἀνὴρ ᾑρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως, ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι καὶ ἀξιώσει προήκῃ, λέγει ἐπ' αὐτοῖς τὸν ἔπαινον.* (cf. Th. 1. 138. 2., 2. 37. 1., 2. 61. 3., 6. 54. 3.)[2]).

[1]) Etiam in Tact 12. 4. haec significatio verbi *ἀξίωσις* invenitur; qua de re in corollario huic dissertationi adiecto verba faciam.

[2]) Si scholiasta auctore Krueger, cujus cognitio elocutionis Thucydideae erat admirabilis, etiam in Th. 1. 69. 2 *οὐ γὰρ*

Vocabulum ἐκβολή significare digressionem (a proposito) primus, nisi fallor, testis est Thucydides, apud quem legitur 1. 97 τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην. Hunc usum praeter multos posteriores etiam Arrianus recepit; nam in anab 6. 11. 8 ταῦτα, inquit, ἐν ἐκβολῇ τοῦ λόγου ἀναγεγράφθω[1]) (cf. Ind. 6. 1., 17. 7.).

In Th. 6. 89. 5. ἡμεῖς δὲ τοῦ ξύμπαντος προέστημεν, δικαιοῦντες, ἐν ᾧ σχήματι μεγίστη ἡ πόλις ἐτύγχανε καὶ ἐλευθερωτάτη οὖσα καὶ ὅπερ (sc. σχῆμα) ἐδέξατό τις, τοῦτο ξυνδιασώζειν — vocabulum σχῆμα eandem fere vim habet atque in Arr. anab. 1. 9. 3 ἡ πόλις τὸ σχῆμα τὸ πάτριον ἐφύλαξε.

In Th. 2. 24. 2. substantivum ὁ νηΐτης cum verbo στρατός coniunctum idem fere significat atque adiectivum νήϊος vel ναυτικός. Verba sunt: ἢν μὴ οἱ πολέμιοι νηΐτῃ στρατῷ ἐπιπλέωσι τῇ πόλει (cf. 4. 85. 4.). Hanc loquendi rationem Arrianus in anab 7. 7. 7 τοῦ μή τινα ἀναπλεῦσαι νηΐτῃ στόλῳ κρατήσαντα imitatus est.

Περιτειχισμός pro περιτείχισις scripsit Arrianus in anab 1. 5. 8. secundum Th. 7. 11.

Substantivum ὁ κωλυτὴς in anab 4. 11. 6. Arrianus fortasse ex Thucydide desumpsit, cum in eo saepius (3. 23. 3, 1. 35. 3, 5. 9. 7, 8. 50. 1, 8. 86. 3), in ceteris vero classicis scriptoribus rarissime legatur.

Nunc venio ad talia vocabula, quae et Thucydides primus finxit et Arrianus ex hoc sumpsit. Ac primum mihi in mentem venit ὁ παράλογος, quod cum proprie sit adiectivum (= inexspectatus), Thucydides mutavit in substantivum masculini generis in 1. 78. 1 βουλεύεσθε

δουλωσάμενος, ἀλλ' ὁ δυνάμενος — αὐτὸ δρᾷ, εἴπερ καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς ἀρετῆς ὡς ἐλευθερῶν τὴν Ἑλλάδα φέρεται, verbum ἀξίωσις pro ἀξίωμα positum esse censet, assentiri ei non possum. Nam mea quidem sententia illa verba vertenda sunt: „Siquidem vindicationem virtutis, quod liberator sit Graeciae, prae se fert.“

[1]) Totum hunc locum ex illo Thucydideo exortum esse infra demonstrabitur.

οὖν βραδέως ὡς τοῦ πολέμου τὸν παράλογον ὅσος ἐστι — προδιάγνωτε (cf. 2. 64. 3., 2. 85. 1., 3. 16. 2., 7. 28. 3., 7. 55. 1., 7. 61. 2., 8. 24. 5). In Arriano hic usus comparet in anab 1. 9. 5 *ἡ Μήλου ἅλωσις μέγαν τὸν παράλογον παρέσχε* (cf. 4. 19. 4).

Usus vocabuli *διαμαρτία* primum atque solum, quatenus scriptores classici intelliguntur, exstat in Th. 4. 89. 1 *γενομένης διαμαρτίας τῶν ἡμερῶν*. Eum autem sequuntur et alii posteriores et Arrianus in anab 2. 12. 7 *τὴν (μητέρα Δαρείου) καταιδεισθεῖσαν τῇ διαμαρτίᾳ ὑποχωρεῖν.*

Denique rarissimum est atque in Thucydide primo invenitur substantivum *πρόσχωσις*. 2. 77. 2 *ὕλης φακέλους παρέβαλλον ἐς τὸ μεταξὺ πρῶτον τοῦ τείχους και τῆς προσχώσεως* (2. 102. 3), unde Arrianus transtulit in anab 2. 18. 5 *ἄπορον τὴν πρόσχωσιν ἐποίουν.*

b) **Adjectiva.**

In Arr. anab 1. 6. 10. verba *οἱ δὲ ἀπροσδόκητοί τε ἐπιπεσόντες καὶ* — mutaverim in *οἱ δὲ ἀπροσδοκήτοις τε* (sc. *τοῖς ἀμφὶ Κλεῖτον*) *ἐπιπεσόντες καὶ* — propterea, quod et Arrianus ipse hanc locutionem bis adhibet (anab 2. 2. 5., 3. 10. 1) et Thucydides, quem ille etiam in hac re secutus esse mihi videtur, in his vel similibus locutionibus semper hoc vocabulum ita adhibuit, ut eum qui non exspectet significet, graece: *ἐπιπίπτω ἀπροσδοκήτῳ*, non: *ἐπιπίπτω ἀπροσδόκητος* (cf. Th. 2. 33. 3., 7. 39. 2., praecipue 2. 93. 3. et 4. 72. 2., ubi exstant verba *ἐπιπεσόντες ἀπροσδοκήτοις*).

c) **Pronomina.**

Thucydides dicit *παρῄνει τοιάδε*, non *τάδε*, 6.. 8. 3. aliisque talibus locis, ut orationes habitas se non ad verbum reddere significet (5. 88. 4., 7. 10. 1., 4. 91. 1., 7. 60. 4., 1. 139. 4. et cet.). Item Arrianus in anab 5. 27. 1 *ἔλεξε τοιάδε.*

In Arr. anab 7. 29. 2. exstat locutio *αὐτός τις*. Quam esse ex Thucydide excerptam nostro jure contendere

possumus. Nusquam enim, nisi fallor, in aliis scriptoribus haec legitur, in Thucydidis vero libris saepius (1. 40. 4., 1. 43. 1., 6. 31. 3., 6. 77. 2.). Convertenda est ita: „unusquisque ipse“.

d) **Verba.**

De verborum usu utriusque communi quae in capite I. diximus, iis nunc pauca succedant, quae imitatione contineri nobis videntur.

Nonnullis verbis, quae proprie exhibent transitivam vim, Thucydides et Arrianus intransitivam interdum dederunt.

σημῆναι-σημεῖον εἶναι Th. 2. 8. 2. — Arr. anab 1. 9. 8., 2. 3. 8.

ἐποκέλλειν Th. 8. 102. 3. — Arr. anab 2. 19. 5.

καταλαμβάνειν Th. 2. 18. 1 *ὁπότε πόλεμος καταλάβοι* (cf. 2. 54. 2., 4. 31. 3.) — Arr. anab 3. 12. 2 *εἴ που ἀνάγκη καταλαμβάνοι* (cf. Ind. 11. 4., 15. 2. Ectax 28.).

Perfectum *κέκτημαι*, quod proprie significat: *possessum habeo*, ab utroque interdum passive adhibetur. Cf. Th. 2. 62. 4. (*τὰ προκεκτημένα*) 1. 123., 7. 70. 8. et Arr. anab 5. 26. 6., 7. 1. 4.

Thucydides ponit 2. 8. 3. *ξυνεπιλαμβάνειν*; idemque hoc fortasse auctore Arrianus scribit in anab 6. 3. 3., 1. 7. 4., 1. 25. 1., 3. 3. 6., 4. 1. 5., Ind 20. 5., quamquam medium usitatius est.

Verbo *ξυμβαίνειν* consecutionem ex quibusdam causis, quae accuratius enarrari non possunt, significari ex Th. 1. 1. 2. et Arr. 5. 21. 6. satis liquet.

Ἐξαιρεῖν τινα apud Thucydidem saepe sensum habet: *interficere, pessumdare aliquem*, 5. 43. 3 *ἵνα Ἀργείους ἐξέλωσιν* (3. 113. 4., 4. 69.). Eandem vim habet hoc verbum etiam in Arr. anab 7. 15. 3 *Ἀλέξανδρος ἐξεῖλεν αὐτῶν τὸ ἔθνος*.

Si ventum spirare atque crebrescere exprimere vult, Thucydides verbo *κατιέναι* utitur (2. 25. 3., 2. 84. 2., 6. 2. 4.). Item Arr. anab 6. 18. 5 *τὸ πνεῦμα κατῄει μέγα ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάσσης*.

Προφέρειν in Th. 5. 26. 4. et 7. 69. notionem narrandi accipit, ut apud Arrianum anab 7. 30. 1.

Ὑποτοπεῖν rarissimum verbum Thucydides saepius usurpavit; sed praeter 3. 24. 1, ubi infinitivus aoristi *ὑποτοπῆσαι* exstat, omnibus locis, in quibus hoc verbum legitur, nulla alia forma adhibita est nisi participium aoristi activi (cf. 1. 20. 3., 1. 56., 2. 5. 3., 2. 13. 1., 3. 24. 1., 5. 31. 3., 5. 116. 1.). Nec aliter est res in Arriani libris (cf. anab 1. 7. 1., 3. 18. 9., 4. 16. 7.).

Addamus nunc nonnulla verba, quae a Thucydide inventa, postea vero neglecta Arrianus in libros suos transposuit.

τεκμηριόω Th. 1. 3. 3., 1. 9. 3., 1. 104. — Arr. Ind. 6. 6., 27. 9.

διαφυγγάνειν Th. 7. 44. 8. — Arr. 4. 4. 6. anab.

ἀντιπαταγεῖν Th. 3. 22. 1. — Arr. anab 5. 12. 3.

ἀπαξιόω Th. 1. 5. 2. — Arr. anab 1. 23. 8.

e) Praepositiones.

Unum habeo quod adnotem. Thucydides enim, si sensum: de aliqua re, vel propter aliquam rem vereri (perterreri, suspicari et cet.) exprimere vult, fere utitur *πρὸς* cum accusativo, non *διά* cum acc.: cf. 8. 39. 2 *πρὸς τὰς ἐπιστολὰς ὑπώπτευον αὐτόν* (Sch. *διὰ τὰς ἐπιστολάς*) et cet. Nec aliter Arrianus in anab 2. 13. 5 *ἐκπλαγέντες πρὸς τὰ ἐξαγγελθέντα*, 4. 20. 4 *πρὸς τὴν ὄψιν φοβεροὶ ἐγένοντο* (cf. anab 1. 10. 2., 1. 18. 8., 4. 3. 1.), et cet.

f) Conjunctiones.

εἴ τε = „atque si" saepius in Thucydide solo invenitur (1. 35. 2., 1. 143. 1., 2. 84. 1., 5. 30. 3., 6. 12. 2., 6. 17. 6., 6. 78. 2., 8. 24. 5.); in Arriano, quantum memini, semel (anab 3. 10. 4.).

ἐπεὶ καί ita ut paene latinam locutionem: quid quod? exprimat, Thucydides et Arrianus soli fere adhibent (Th. 1. 69. 5., 3. 82. 1., 4. 80. 2. et cet. — Arr. anab 4. 9. 9., 2. 11. 10., 5. 4. 2., 5. 22. 2., 6. 11. 4., 7. 2. 1., 7. 18. 1., 7. 30. 3., et cet.).

In Th. 4. 14. 2. exstat conjunctio *ὅτιπερ*, (quoniam) ad quam explicandam Bloomfld dicit: „Atticus, sed raris-

simus, particularum complexus, cuius duo tantum exempla adnotavi, Arist. Equit. 53. et Lucian. 1. 140." Ego etiam ex Arriano exemplum afferre possum. Nam in anab. 4. 18. 2. scripsit *Ἀλέξανδρος ἀναπαύων τὴν στρατιὰν ὅτιπερ ἀκμαῖον τοῦ χειμῶνος ἦν.*

Pro *πρὶν* cum inf. Thucydides solus bis (1. 69. 4., 6. 58. 1.) ponit *πρότερον - ἤ* c. inf. Eum secutus Arrianus in anab. 1. 18. 4. scribit *πρότερον καταπλεύσας ἢ τοὺς Πέρσας προσσχεῖν.*

B. De locutionibus.

Postquam singula vocabula pertractavimus, ad locutiones nunc eamus atque similitudines in iis quales sint investigemus. Ac primum quidem ea quae rem militarem et publicam spectant, exempla prodeant.

Pericles summis Athenienses laudibus effert cum alia tum haec dicens: *πολέμοις μεγίστοις ἀντέσχομεν* (2. 64). Iisdem fere verbis usus Arrianus Athenienses laudat in anab. 1. 9. 2 *πολέμοις μεγίστοις ἀντέσχομεν.*

Uterque, si locum quendam munitum funditus deleri exprimere vult, interdum scribit.

Thuc. 4. 109. 1 *κατέσκαψαν ἑλόντες ἐς ἔδαφος.* (cf. 3. 68. 3.)

Arr. anab. 1. 9. 9 *τὴν πόλιν κατασκάψαι εἰς ἔδαφος.* (cf. 1. 23. 4.)

Cum milites mercennarii non semper barbari essent, Arrianus *ξένος* coniunxit cum *μισθοφόρος* finxitque *ξένος μισθοφόρος* (anab. 1. 20. 3.), auctore fortasse Thucydide, in cuius libris coniunctiones exstant similes, ut 8. 25. 2 *ξενικὸν ἐπικουρικόν*, 3. 109 *τὸν μισθοφόρον ὄχλον τὸν ξενικόν.*

Arrianus semel (anab. 7. 15.) ponit pro simplici verbo *ἐξελαύνειν* verbum *ποιεῖσθαι* cum respondente substantivo coniunctum: *ἐξέλασιν ποιεῖσθαι.* Quae loquendi ratio ex Thucydidea imitatione exorta esse mihi videtur. Tales enim circumscriptiones apud hunc innumerabiles fere sunt. Nonnulla proferam: 3. 15. 1 *ἐσβολὴν ποιεῖσθαι* pro *ἐσβάλλειν*, 1. 8. 3 *κτῆσιν ποιεῖσθαι* pro *κτᾶσθαι* et cet.

Quod res navales attinet, nonnullas inveni locutiones, quas ex Thucydide Arrianum exscripsisse non iniuria contendere mihi videor,

Thuc. 4. 9. 3., 4. 11. 4 *ἀπόβασιν βιάζεσθαι.*
Arr. anab. 1. 3. 3 *ἀπόβασιν βιάζεσθαι.*

Th. 7. 70. 7 *τὸν ἔκπλουν βιάζεσθαι.*
Arr. anab. 1. 19. 8 *τὸν ἔσπλουν βιάζεσθαι.*

Th. 2. 84. 1 *ἐν χρῷ παραπλεῖν.*
Arr. Ind. 30. 4 *ἐν χρῷ παραπλόω.*

Th. 1. 48. 1 *ναῦς μετέωροι.*
Arr. Ind. 23. 2 *ναῦς μετέωροι.*

Th. 7. 21 *ναυμαχίας ἀπόπειραν λαμβάνειν.*
Arr. anab. 2. 20. 4 *εἰς ναυμαχίας ἀπόπειραν ἐξαρτύεσθαι.*

In Arr. anab 7. 23. 5 Krueger *ἀπεπειρᾶτο τοῦ ναυτικοῦ* bene correxit in *ἀνεπειρᾶτο τοῦ ναυτικοῦ*; nam ut Thucydides (7. 7. 3 et cet) aliorumque scriptorum loci demonstrant, verbum *ἀναπειρᾶσθαι* non nusquam pro *μελετᾶν* ponitur.

In obsessionum descriptionibus similes enuntiationes mihi occurrerunt hae:

Th. 5. 80. 9 *πύλας ἀπέκλησεν.*
Arr. anab. 1. 26. 5 *τὰς πύλας ἀποκεκλείκασιν.*

Th. 2. 75. 4 *πυρφόροις οἰστοῖς ἔβαλλον.*
Arr. anab. 2. 21. 3 *πυρφόροις οἰστοῖς ἔβαλλον.*

Th. 4. 31. 3 *ἔρυμα αὐτόθι ἦν λίθων πεποιημένον*
Arr. anab. 6. 29. 5 *τὸν τάφον λίθου* (gen. mater.) *πεποιῆσθαι.*

Iam ceterae locutiones militares, quae in utroque similes exstant, hoc loco proferantur. Thuc. 5. 59 *ἐν μέσῳ ἀπειλημμένοι ἦσαν* (cf. 2. 4. 4.)

Arr. anab. 1. 5. 11 *οἱ ἀμφὶ Κλεῖτον ἐδόκουν Ἀλέξανδρον ἐν δυσχωρίᾳ ἀπειληφέναι.*

Th. 4. 35. 1 ὡς δὲ ἐνέδοσαν.

Arr. anab. 1. 16. 1 τὸ μέσον ἐνδεδώκει, i. e. media acies recesserat.

Th. 1. 15. 2 πόλεμος ξυνίσταται.

Arr. anab. 1. 29. 6 συνεστῶτος πολέμου.

Th. 4. 67. 5. et 7. 22. 1 ἀπὸ ξυνθήματος (i. e. signo dato.)

Arr. anab. 2. 8. 10 ἀπὸ ξυνθήματος (Ind. 24. 5., 30. 5.)

Th. 3. 34 ἐν φυλακῇ ἀδέσμῳ τινὰ ἔχειν.

Arr. anab. 2. 15. 5 Εὐθυκλέα ἐν φυλακῇ ἀδέσμῳ εἶχεν; 3. 29. 7 ἀδέσμῳ φυλακῇ φυλάσσεσθαι.

Th. 4. 48. 6 ἵναπερ τὸ πρῶτον ὥρμηντο (cf. 4. 74. 1.)

Arr. anab. 3. 1. 1 ἵναπερ τὸ πρῶτον ὡρμήθη (cf. 3. 19. 8., 5. 23. 7.)

Th. 2. 4. 4 χρήσασθαι ὅτι βούλονται (cf. 4. 69. 3., 7. 85. 1.)

Arr. anab. 3. 23. 8 χρήσασθαι ὅτι βούλοιτο.

Th. 4. 96. 3 ἐν χερσὶν κατεκόπησαν (cf. 3. 66. 2.)

Arr. anab. 3. 18. 9 ἐν χερσὶ κατεκόπησαν.

Th. 1. 28. 3 κατὰ χώραν μένειν (i. e. in sua statione manere, quietem agere, cf. 3. 22. 4., 4. 26. 1., 4. 76. 4.)

Arr. anab. 5. 10. 4 κατὰ χώραν μένειν.

Ectax. 29 ἐν χώρᾳ μένειν.

Th. 7. 81. 5 ἐβάλλοντο περισταδόν.

Arr. anab. 5. 17. 3 περισταδόν βάλλοντες.

Th. 7. 81. 5 ξυσταδὸν μάχαις ἐχρῶντο.

Arr. Ind. 16. 9 ἐπεὰν συστάδην καταστῇ ἡ μάχη.

Th. 4. 104 ἐφ' ἁρπαγὴν τρέπεσθαι.

Arr. Ind. 21. 12 ἐφ' ἁρπαγὴν τρέπεσθαι.

Th. 4. 55 ἔκπληξιν παρέχειν.

Arr. Tact. 35. 5 ἔκπληξιν παρέχειν.[1])

---

[1]) Poppo (l. l. pag. 369) censet, Arrianum locutionem ἐς ἀλκὴν τρέπεσθαι ex Thucydide deprompsisse, id quod incertum

Th. 5. 11. 3 *τὰ περὶ τὴν Ἀμφίπολιν καθίσταντο.*

Arr. anab. 5. 20. 7 *πέμπει αὐτοὺς τὰ περὶ τὴν χώραν καταστησομένους.*

Postremum enotentur paucae illae, quae ex rebus publicis haustae sunt, locutiones in utroque similes. Hae sunt:

Th. 8. 44 *τὰ χρήματα παρά τινος ἐκλέγειν.*

Arr. anab. 3. 5. 4 *ἐκλέγειν τοὺς φόρους παρά τινος.*

Th. 2. 15. 2., 4. 76. 2 *ξυντελεῖν ἐς —.*

Arr. anab. 1. 24. 5 *ξυντελεῖν ἐς —.*

Th. 1. 10. 6 *οἱ μάλιστα ἐν τέλει.*

Arr. anab. 2. 24. 5 *οἱ μάλιστα ἐν τέλει.*

Th. 6. 44. 2., 6. 80. 1 *δέχεσθαι τινα πόλει.*

Arr. anab. 2. 25. 4 *δέχεσθαί τινα πόλει.*

Th. 8. 6. 1 *φυγάδες τῆς αὐτῶν ἀμφότεροι.*

Arr. anab. 3. 22. 5 *φυγὰς τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς.*

b) Nunc quae supersunt reliquas locutiones utriusque communes singulas deinceps pertractemus.

Th. 7. 13. 3 *τὴν ἀκρίβειαν τοῦ ναυτικοῦ ἀφῄρηνται τοὺς τριηράρχους.*

Arr. anab. 1. 2. 7 *τὴν ἀκρίβειαν τῆς διώξεως ἀφείλοντο τοὺς Μακεδόνας.*

Th. 2. 97. 4 *ἐπὶ μέγα ἦλθεν ἡ βασιλεία* (Odrysorum) *ἰσχύος.*

Arr. anab. 2. 5. 2 *ἡ πόλις* (i. e. *Ἀγχίαλος*) *ἐπὶ μέγα ἐλθοῦσα δυνάμεως.*

Th. 1. 49. 2 *ἐπειδὴ προσβάλοιεν ἀλλήλοις, οὐχ ῥᾳδίως ἀπελύοντο.*

Arr. anab. 5. 17. 4 *ὅποι προσπέσοι ταῖς τάξεσι — ἀπελύοντο.*

Th. 5. 71. 1 *τὴν πυκνότητα τῆς ξυγκλήσεως.*

Arr. ectax. 15 *πυκνὴ αὐτοῖς ἔστω ἡ ξύγκλεισις.*

est, quoniam non solum in Thucydide, sed etiam in Herodoto, e quo et ipse multa Arrianus delibavit, reperitur.

Th. 5. 78 ἐπιμιξίας οὔσης παρ᾽ ἀλλήλους.
Arr. Ind. 7. 1 ἐπιμιξίας οὔσης ἐς ἀλλήλους.

Th. 2. 84. 2 τὰς κώπας ἀδύνατοι ὄντες ἐν κλυδωνίῳ ἀναφέρειν.
Arr. anab. 4. 18. 5 αἱ κῶπαι ἐν κλύδωνι χαλεπῶς ἀνεφέροντο.
Th. 2. 47. 3 πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν.
Arr. anab. 1. 8. 8 πρὸς ἱεροῖς ἱκετεύοντας.

Th. 4. 80. 1 μήτι πρὸς τὰ παρόντα νεωτερίσωσιν.
Arr. anab. 2. 13. 5 μὴ πρὸς τὴν ἀγγελίαν νεωτερίσωσιν.

Th. 6. 104. 3 ὁ ἄνεμος κατὰ βορέαν ἑστηκώς.
Arr. anab. 6. 21. 1 οἱ ἐτήσιοι ἄνεμοι κατὰ νότον μάλιστα ἄνεμον ἵστανται.

Th. 1. 81. 1 ἐκ θαλάσσης ὧν δέονται ἐπάξονται.
Arr. anab. 6. 19. 5 σῖτον ἐπηγάγετο.

Th. 2. 15. 3 ἑορτὴν δημοτελῆ ποιοῦσιν.
Arr. anab. 7. 11. 8 θοίνην δημοτελῆ ἐποίησεν.

Th. 6. 46. 2 et 2. 60. 1 προσδεχομένῳ ἦν.
Arr. anab. 1. 22. 1 προσδεχομένοις ἦν.

Th. 5. 31. 2 ἐπὶ τῇ ἡμισείᾳ τῆς γῆς (i. e. ea condicione, ut terrae dimidio fruantur).
Arr. anab. 2. 1. 4 ἐπὶ τοῖς ἡμίσεσιν τῶν τότε ὄντων.

Th. 3. 38. 2 τὸ εὐπρεπὲς τοῦ λόγου (cf. 3. 44. 2.)
Arr. anab. 2. 16. 6 τῷ λόγῳ εὐπρεπέστατον.

Th. 3. 1 ὅπῃ παρείκοι (latine: quocunque modo daretur occasio).
Arr. anab. 2. 23. 2 ᾗ παρείκοι.
6. 9. 2 ὅπῃ παρείκοι (2. 23. 3.)

Th. 2. 40. 1 λόγου κόμπῳ.
Arr. anab. 4. 27. 2 κόμπος λόγου.

Th. 7. 84. 3 ἐν κοίλῳ ὄντι τῷ ποταμῷ.
Arr. anab. 6. 18. 4 ποταμὸς κοῖλος.

Th. 4. 31. 1 *τῇ γνώμῃ δεδουλωμένοι.*
Arr. anab. 2. 10. 1 *τῇ γνώμῃ δεδουλωμένος* (5. 19. 1., 6. 16 2., 3. 11. 2.).

Th. 2. 51. 3 *οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι.*
Arr. anab. 2. 27. 6 *ὅσοι τι ἀρετῆς μετεποιοῦντο.*

Th. 8. 101. 2 *ἔτι πολλῆς νυκτός.*
Arr. anab. 2. 2. 5 *ἔτι νυκτός* (cf. 1. 6. 9 *ὑπὸ νύκτα ἔτι*).

Th. 1. 24. 1 *κατὰ δή τινα νόμον* (*δή* explicat accuratiora proferri non posse).
Arr. anab. 7. 24. 3 *κατὰ δή τινα νόμον.*

Th. 4. 24 *θάλασσα ῥοώδης.*
Arr. Ind. 22. 5 *θάλασσα ῥοώδης.*

Th. 2. 52. 1 *ἐν καλύβαις πνιγηραῖς.*
Arr. Ind. 24. 1 *ἐν καλύβῃσι πνιγηρῇσι* (de hac elocutione vide quae infra dicta sunt).

Simplicissima adverbia multimodis circumscribere non solum Thucydides sed etiam noster valde amat.

ἐκ πολλοῦ = jamdudum in Th. 1. 58. 1., 1. 68. 3., 2. 85. 2., 4. 67. 3., — Arr. anab. 1. 2 1., 1. 20. 3., 2. 21. 8.

δι᾽ ὀλίγου = *ταχέως* in Th. 1. 77. 4., 2. 85. 2., 3. 43. 4., 4. 95. 1., 7. 70. 8., — Arr. anab. 1. 16. 2., 1. 9. 6., 1. 19. 2., 5. 7. 5.

εἰς ἅπαν = prorsus, omnino in Th. 5. 103. 1., — Arr. anab. 1. 15. 1., 1. 11. 8., 7. 23. 3., Ind. 36. 5.

ἐν χερσίν = prope Th. 4. 43. 2. — Arr. anab. 2. 7. 2.

ἐκ τοῦ εὐθέος = *ἄντικρυς*, statim, (gerade heraus) in Th. 1. 34. 2. (3. 34. 2 *ἀπὸ τοῦ εὐθέος*), Arr. anab. 2. 17. 2., 5. 27. 1.

ἐπὶ πᾶν (Schol. *καθόλου* = omnino) in Th. 2. 51. 1., 5. 68. 3., Arr. anab. 2. 24. 3.

ἐπὶ μέγα = vehementer in Th. 1. 16 *προχωρησάντων ἐπὶ μέγα πραγμάτων*, Arr. anab. 1. 21. 1 *ἑκάτερος τὰ*

αὐτοῦ ἐπὶ μέγα λόγῳ ἦγεν (5. 9. 4., 6. 3. 3., 2. 26. 3., 1. 22. 2.)

Th. 4. 3. 2 *ἐπὶ πολὺ τῆς χώρας.*
Arr. anab. 2. 18. 6 *ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης.*

πρὸς ὀργήν in Th. 2. 65. 5., Arr. anab. 2. 16. 8.

Enuntiationem *καθ' ἡδονήν* uterque libenter adhibuisse videtur; quod demonstratur ll. Th. 2. 37. 2., 2. 65. 6. (*καθ' ἡδονήν τινι*), 4. 67. 5., 2. 53. 1., 6. 17. 3. (*καθ' ἡδονὴν λέγειν*), — Arr. anab. 1. 2. 7. (*τὰ καθ' ἡδονήν*), 26. 4., 5. 28. 1. (*καθ' ἡδονήν τινι εἶναι*).

Neque minorem his scriptoribus delectationem praebuit locutio *οὐδενὶ κόσμῳ.* cf. Th. 2. 52. 1., 3. 108. 3., 7. 23. 3., 7. 40. 3., 7. 84. 2. — Arr. anab. 1. 8. 8., 4. 5. 7., (*ξὺν τῷ πρέποντι κόσμῳ* exstat in Arr. anab. 4. 26. 3., 2. 10. 2.; pro *οὐδενὶ κόσμῳ* Thucydides semel contrarium ponit 8. 99. 2 *πολλῷ κόσμῳ*).

Locutione *κατὰ τὰ αὐτὰ* = itidem, utitur Thucydides bis, ubi verba, quae in societate aliqua concilianda litteris mandata sunt, refert; vide 8. 18. 2 *ἢν δέ τινες ἀφιστῶνται ἀπὸ βασιλέως πολέμιοι ἔστωσαν Λακεδαιμονίοις· καὶ ἤν τινες ἀφιστῶνται ἀπὸ Λακεδαιμονίων, πολέμιοι ἔστωσαν βασιλεῖ κατὰ ταὐτά.* (nec aliter 5. 17. 5.). Quem dicendi usum paulisper quidem alium habes apud Arr. anab. 5. 22. 2 *Οἱ Καθαῖοι τὰ πολέμια κράτιστοι ἐνομίζοντο· καὶ τούτοις κατὰ τὰ αὐτὰ* (i. e. *τὰ πολέμια κράτιστοι ἐνομίζοντο*) *Ὀξυδράκαι.*

Paulo accuratius nobis tractanda sunt verba Th. 3. 14. 1 *αἰσχυνθέντες Δία τὸν Ὀλύμπιον, ἐν οὗ τῷ ἱερῷ ἴσα καὶ ἱκέται ἐσμέν* et cet. Pluralis neutrius *ἴσα* usus adverbialis est haud usitatus; neque in ullo classicorum, qui nominantur, scriptorum libro exstat nisi in hoc Thucydideo. Eumque demum posteriores imitati sunt, ut Arrianus in anab. 3. 27. 5 *ἀλλὰ τοῦ δικαίου ἴσα καὶ τοῖς κρατίστοις τῶν Ἑλλήνων μεταποιουμένους.* Sed mea quidem sententia in his verbis mendum inest. Nam aut auctori scribendum erat *ἴσα τοῖς κρατίστοις*, aut *ἴσα καὶ*

τοὺς κρατίστους. Ultimam lectionem ἴσα καὶ τοὺς κρατίστους ab Arriano scriptam esse persuasum habeo.[1])

Postremum mihi liceat duas in Arriano emendationes, quas Krueger locis Thucydideis nisus fecit, breviter tractare. In Arr. anab. 5. 7. 3 libri verba ταχυτάτη ὡς ἐγὼ οἶδα ἡ γεφύρωσις praebent; sed Krueger, Th. 1. 4 παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν et 1. 18. 2 ἐπὶ πλεῖστον ὧν ἴσμεν χρόνον στασιάσασα ante oculos habens, Arrianum ὧν ἐγὼ οἶδα scripsisse recte, ni fallor, putat. — In eadem paragropho Krueger verba librorum λίθων λογάδων, secutus Thucydidem 4. 4. 1 λογάδην φέροντες λίθους (Sch. ἐπιλεγμένους λίθους) et 4. 31. 2 ἔρυμα λίθων λογάδην πεποιημένον mutat in λίθων λογάδην. Quae conjectura sane est ingeniosa, neque vero necessaria. Nam lectio λίθων λογάδων nullam praebet offensionem memori locorum Herod. 1. 36 νεηνίαι λογάδες, et Th. 5. 67 οἱ χίλιοι λογάδες. (et Pausanias quoque dixit 7. 22. 5 λίθοι λογάδες).

C. De locis exscriptis.

Nulla alia re, ut opinor, quanto opere Arrianus in Thucydidis librorum studium incubuerit, melius declaratur quam si enuntiata integra ab Arriano delibata perpendimus.

Th. 2. 96. 2 παρεκάλει τῶν Θρᾳκῶν πολλοὺς τῶν αὐτονόμων οἳ Δῖοι καλοῦνται.

Arr. anab. 1. 1. 5 ἐμβαλεῖν ἐς Θρᾴκην τὴν τῶν αὐτονόμων καλουμένων Θρᾳκῶν.

Th. 7. 6. 3 τὸ στράτευμα κατηράχθη ἐς τὰ τειχίσματα.

Arr. anab. 5. 17. 2 κατηράχθησαν ὥσπερ εἰς τεῖχός τι φίλιον τοὺς ἐλέφαντας.

Th. 7. 14. 1 καὶ ὅτι οὐδ' ὁπόθεν ἐπιπληρωσόμεθα τὰς ναῦς ἔχομεν.

[1]) cf. corollarium huius dissertationis.

Arr. anab. 1. 20. 1 *οὔτε ὁπόθεν τὰς ὑπηρεσίας συμπληρώσουσιν ἔχοντας.*

Th. 1. 12. 2 *ἐς Ἴλιον ἐστράτευσαν.*
Arr. anab. 1. 11. 5 *τῶν ἐς Ἴλιον στρατευσάντων.*

Th. 4. 117. 2 *γενομένης ἀνακωχῆς κακῶν.*
Arr. anab. 3. 22. 3 *ἀνακωχὴ τῶν ξυμφορῶν ἐγένετο.*

Th. 1. 6. 1 *ἐς πάντας ὁμοίων διαιτημάτων.*
Arr. anab. 4. 74 *ἴσης ἐς τοὺς ὑπηκόους ξυνδιαιτήσεως.*

Th. 5. 7. 2 *κατὰ θέαν ἔφη ἀναβαίνειν τοῦ χωρίου.* (cf. 5. 9. 2., 5. 10. 2.)
Arr. anab. 4. 21. 9 *ἀνέβη κατὰ θέαν τῆς πέτρας.*

Th. 1. 80. 2 *ὄχλῳ ὅσος οὐκ ἐν ἄλλῳ ἐνί γε χωρίῳ Ἑλληνικῷ ἐστίν.*
Arr. anab. 1. 12. 4 *οὐκ ἔστιν ὅστις ἄλλος εἷς ἀνήρ*

Verborum Th. 2. 8. 3 *ἡ εὔνοια παρὰ πολὺ ἐποίει τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους* (quae in latinum sermonem ita fere convertenda sunt: benevolentia hominum longe maior ad Lacedaemonios inclinabat) similia apud nullum eorum, qui vel antea vel eodem tempore quo Thucydides fuerunt, leguntur. Sed qui postea scribendi gloria floruerunt, hanc loquendi rationem Thucydideam ex oblivione revocatam in suos quisque libros transtulerunt. Quorum in numero etiam Arrianus est habendus; nam verba anab. 2. 2. 3 *Τενεδίοις τὰ τῆς εὐνοίας ἐς Ἀλέξανδρόν τε καὶ τοὺς Ἕλληνας ἐποίει μᾶλλον* illi loco Thucydidis deberi quis est qui neget?

Thucydides i. l. 1. 5., ubi exponit antiquissimis temporibus quomodo Graeci atque barbarorum ii, qui et litora et insulas tenebant, sibi paraverint omnia ad victum necessaria, *οἱ γάρ*, inquit, *Ἕλληνες τὸ πάλαι καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν καὶ ἥρπαζον καὶ τὸν πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο.* Hunc locum non modo cognovit Arrianus sed etiam paene

exscripsit anab. 7. 15. 2, cum de Cossaeis *Οἱ Κοσσαῖοι*, inquit, *εἰς τὸ λῃστεύειν τρεπόμενοι ἀπὸ τούτου τὸν βίον ποιοῦνται.*

In 1. 22. Thucydides, quomodo omnes res in bello Peloponnesiaco re vera gestae sint, vix nisi summa industria se investigare potuisse explanat. Nam eos, qui ipsi singulis rebus interfuissent quosque de his consuluisset, non sine ira et studio eas narrasse, sed prout quisque in alterutros (i. e. aut in Lacedaemonios aut in Athenienses) amore propensior aut memor (sc. rerum) fuisset. *Ἐπιπόνως δὲ*, inquit, *εὑρίσκετο* (sc. *ἡ ἀκρίβεια τῶν πραχθέντων*), *διότι οἱ παρόντες τοῖς ἔργοις ἑκάστοις οὐ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι.* Nec multo aliter noster scripsit in anab. 7. 14. 2, sed ita, ut haec verba ei in conscribendo hoc loco saltem obscure obversata esse nemo infitiaturus sit. Nam Hephaestionis morte narrata Alexandrum dicit de hac re summo dolore affectum esse; sed quae hoc dolore facta essent, sese non accurate investigare potuisse, cum auctores, quos solos in hac re sequi sibi licuisset, alii alia posteris tradidissent: *μέγα μὲν γενέσθαι αὐτῷ* (*Ἀλεξάνδρῳ*) *τὸ πένθος, πάντες τοῦτο ἀνέγραψαν, τὰ δὲ πραχθέντα ἐπ' αὐτῷ* (*Ἡφαιστίωνι*) *ἄλλοι ἄλλα* (sc. *ἀνέγραψαν*), *ὡς ἕκαστος ἢ εὐνοίας πρὸς Ἡφαιστίωνα ἢ φθόνου εἶχεν ἢ καὶ πρὸς αὐτὸν Ἀλέξανδρον*, i. e. ut quisque sive benevolentia sive invidia vel in Hephaestionem vel etiam in Alexandrum affectus erat.

Thucydides Homero in rebus historicis non magnam esse fidem habendam dicit 1. 9 *ὡς Ὅμηρος τοῦτο δεδήλωκεν, εἴ τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι.* Hunc locum et alii et noster saepe imitati sunt. Eadem enim suspicione iisdemque fere verbis usus agit de Ctesia anab. 5. 4 *Κτησίας μὲν, εἰ δή τῳ ἱκανὸς καὶ Κτησίας ἐς τεκμηρίωσιν* et cet. Ac sine ulla suspicionis significatione adhibet illa verba anab. 5. 6 *ἱκανὸς τεκμηριῶσαι Ὅμηρος*; et similia exstant anab. 6. 28 *ταῦτα οὔτε Πτολεμαῖος οὔτε Ἀριστόβουλος ἀνέγραψαν οὐδέ τις ἄλλος*

ὅντινα ἱκανὸν ἄν τις ποιήσαιτο τεκμηριῶσαι ὑπὲρ τῶν τοιῶνδε, 8. 13 οὔτε Πτολεμαῖος οὔτε τις ἄλλος ἀνέγραψεν ὅστις ἱκανὸς ὑπὲρ τῶν τοιούτων τεκμηριῶσαι.

Describens 4. 29 qua in condicione insula Sphacteria antiquissimis temporibus fuerit, Thucydides utitur his verbis πρότερον αὐτῆς (i. e Σφακτηρίας) οὔσης ὑλώδους καὶ ἀτριβοῦς διὰ τὴν ἀεὶ ἐρημίαν. Quibus verbis in suum usum conversis Arrianus de natura insulae, quae in Hydaspe flumine sita est, νῆσος, inquit, ἐν τῷ ποταμῷ ὑλώδης τε καὶ ἀστιβὴς ὑπ' ἐρημίας.[1])

In praefatione, quam toti operi praemittit, ille postquam ad declarandos illos errores, quos rerum praeteritarum indagatores commiserunt quique vulgo circumferebantur, nonnulla exempla protulit (1. 20.), hanc totius loci facit conclusionem οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας. Si quis cum hoc loco Arriani anab. 6. 11. 8. confert, nequaquam, nisi fallor, negare poterit, eum haec verba in conscribendo hoc loco ante oculos habuisse. Is enim, cum fabulosam illam narrationem, qua Ptolemaeum prohibuisse, quominus hostes tela sua in Alexandri corpus immitterent, ferebatur quamque hic ipse jam falsam refutaverat, irrisisset, hanc a proposito digressionem ita conclusit ταῦτα μὲν δὴ ἐν ἐκβολῇ[2]) τοῦ λόγου ἀναγεγράφθω μοι, ὡς μὴ ἀταλαίπωρον[3]) γίγνεσθαι τοῖς ἔπειτα ἀνθρώποις τὴν ὑπὲρ τῶν τηλικούτων ἔργων τε καὶ παθημάτων ἀφήγησιν.

Th. 2. 89. 7. Lacedaemoniorum duces milites suos ut et quiete audirent imperata et obedirent admonent his verbis ὑμεῖς εὔτακτοι ταῖς ναυσὶ μένοντες τά τε παραγγελλόμενα ὀξέως δέχεσθε — καὶ ἐν τῷ ἔργῳ κόσμον καὶ σιγὴν περὶ πλείστου ἡγεῖσθε (cf. 2. 11. 6). Eandem fere locutionem etiam noster in scripta sua transtulit,

---

[1]) Hic locus postea tractandus est.

[2]) cf. supra pag. 13.

[3]) ἀταλαίπωρος praeter hunc locum raro invenitur. Agath. 2. 32 οἱ γὰρ ἀταλαιπώρως ἅπαντα προσιέμενοι haud dubie ex illo Thucydideo deprompsit.

cum (anab. 1. 6. 1) de Alexandro diceret *παρήγγελλε* (*Ἀλέξανδρος*) *σιγῇ ἔχειν, τὸ παραγγελλόμενον ὀξέως δεχομένους.*[1])

Arrianus 6. 25. 3. de militibus, qui duce Alexandro iter et fervore et aquae inopia difficile faciebant, propter fatigationem relictis *ὀλίγοι*, inquit, *ἀπὸ πολλῶν ἐσώθησαν*; quae verba exorta sunt ex imitatione Thucydidis 1. 110. 1. dicentis de Atheniensibus in Aegypto devictis *ὀλίγοι ἀπὸ πολλῶν πορευόμενοι ἐσώθησαν.*

In oratione Alexander luxuriosis Persis atque ignavis Macedones bellorum peritos et fortes homines opponit, cum ita dicit *Μακεδόνας τε γὰρ Πέρσαις καὶ Μήδοις, ἐκ πάνυ πολλοῦ τρυφῶσιν, αὐτοὺς ἐν τοῖς πόνοις τοῖς πολεμικοῖς πάλαι ἤδη μετὰ κινδύνων ἀσκουμένους – ἐς χεῖρας ἥξειν* (anab. 2. 7. 4). Quae verba quanto opere ex imitatione Thucydidea fluxerint, intelligi potest ex Th. 1. 18. 7. Ibi enim Thucydides Athenienses atque Lacedaemonios bellis, quae et inter se et contra alios continuo iniissent, rei militaris peritissimos factos laudat *ἐμπειρότεροι ἐγένοντο μετὰ κινδύνων τὰς μελέτας ποιούμενοι.* — Simile invenitur in Th. 6. 72 *ἀνδρίαν μετὰ κινδύνων μελετᾶν.*[2])

Atheniensium in pugna aliqua contra Syracusanos facta victorum non modo multi interfecti erant, sed etiam arma plura quam pro caesis erant capta *ἀπέθανον δὲ οὐκ ὀλίγοι, ὅπλα μέντοι ἔτι πλείω ἢ κατὰ τοὺς νεκροὺς ἐλήφθη* (7. 45). Hanc loquendi rationem Arrianum in anab. 7. 24. 5. ante oculos habuisse mihi contendenti nemo obloqui poterit. Ibi enim de Macedonibus, qui urbem aliquam Indorum obsessione ceperant *ἀπέθανον μὲν*, inquit, *ὀλίγον ἀποδέοντες τῶν ἑκατῶν. τραυματίαι δὲ οὐ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν νεκρῶν ἐγένοντο.*

[1]) De Arr. tact. 5. 1. et 27. 1. cf. quae infra in corollario disputantur.

[2]) Locutio *μετὰ κινδύνων* praeterea exstat in Th. 1. 70. 5., 3. 56. 3., 6. 31. 1. Praepositionis *μετὰ* similis usus legitur in Th. 5. 25. 3 *μετ᾽ ἀνακωχῆς* (i. e. per indutias) et 6. 61. 1 *μετὰ τοῦ αὐτοῦ λόγου.*

Cum milites Alexandri in Hydaspe flumine multis navibus veherentur, remigatione clamor exortus est tantus, ut cum nulla alia re comparari posset: *ὁ κτύπος τῆς εἰρεσίας οὐδενὶ ἄλλῳ ἐοικώς* (anab. 7. 3. 3.). In his verbis noster haud dubie Thucydidem secutus est; is enim de Atheniensibus illis, qui cum Syracusanis pugnam navalem inierant, futura veritis *ὁ φόβος*, inquit, (sc. *Ἀθηναίων*) *ἦν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος οὐδενὶ ἐοικώς.*

Illa quae attuli exempla, quamquam ex iis Arriani studia Thucydidea iam satis elucent, tamen, si cum his quae sequuntur comparas, parva videntur. Nam imitationes, quae nunc afferentur, tantae sunt atque tam praeclarae, ut suspicionem fere praebeant, Arrianum non solum accurate lectitasse scripta Thucydidea sed etiam in componendis suis libris, ut ita dicam, in manibus habuisse. Nam si quis quomodo Thucydides mores Themistoclis descripserit quaeque de pestilentia Athenis exorta, de rebus ad Pylum et Sphacteriam insulam factis atque de Plataearum obsidione narraverit, accurate inquirit praecipueque quae in his locis exstant locutiones in memoria retinet, Arrianum multas earum facile intelligit in suos libros ita transtulisse, ut unamquamque poneret iis locis, qui propter sensum respondent Thucydideis.

Et primum inspiciamus ea quae Thucydides de Themistoclis moribus literis mandat. Dicit enim de eo 1. 138. 4 *τότε ἄμεινον ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα* et paulo antea *τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστήρ.* Iam si in comparationem vocamus quae de Alexandri natura atque moribus a nostro dicta sunt in anab. 7. 28. 2 *τὸ δέον ἔτι ἐν τῷ ἀφανεῖ ὂν ξυνιδεῖν δεινότατος* et postea *ἐκ τῶν φαινομένων τὸ εἰκὸς ξυμβαλεῖν ἐπιτυχέστατος* propter sensus et verborum similitudinem Arrianum in hac descriptione Thucydidea illa in suum usum convertisse concedere cogimur.

In pestilentiae Atticae descriptione Thucydides dicit (2. 52.) eos, qui ex agris in urbem undique confluxissent,

aedificiis non sufficientibus in tuguriis fervidis = *ἐν καλύβαις πνιγηραῖς* habitasse. Eadem locutio in Arriano a Thoa duce in nuntio illo, quem Alexandro misit, adhibetur (anab. 6. 23. 3.) *ἁλιέας τινὰς καταλαβεῖν* (sc. *Θόαν*) *ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ ἐν καλύβαις πνιγηραῖς.*

Paulo antea (2. 49.) Thucydides refert de Atheniensibus peste correptis *καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων ἀνθρώπων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ ξυνεχόμενοι.* Quo cum loco comparanti mihi quae Arrianus in anab. 6. 24. 6. de iis, qui iter illud supra commemoratum fecerunt, militibus narrat *προχωρησάσης δὲ τῆς ἡμέρας ὑπὸ μήκους τῆς ὁδοῦ, εἰ ὁδοιποροῦντες ἔτι ἐγκαταληφθεῖεν, ἐνταῦθα ἂν ἐταλαιπώρουν πρός τοῦ καύματόςτε καὶ ἅμα δίψει ἀπαύστῳ συνεχόμενοι* imitatio non dubia esse videtur.

Consideranti Thucydideam narrationem rerum illarum, quae ad Pylum atque Sphacteriam factae sunt, multa mihi occurrerunt, quae Arrianus in rebus gestis Alexandri describendis haud dubie in promptu haberet.

Nam Thucydides 4. 8., ubi Lacedaemonios maxime dedisse operam Pylo promunturio capiendo narrat, haec duo enuntiata literis mandat *ἐν νῷ εἶχον — καὶ τοὺς ἔσπλους τοῦ λιμένος ἐμφράξαι, ὅπως μὴ ᾖ τοῖς Ἀθηναίοις ἐφορμίσασθαι ἐς αὐτόν*, et paulo post *τοὺς ἔσπλους ταῖς ναυσὶν ἀντιπρῴροις βύζην*[1]) *κλῄειν ἔμελλον.* Alterum locum imitatur Arrianus anab. 2. 20. 8., ubi de Tyriis ita loquitur *τριήρεσι βύζην τὸν ἔσπλουν φραξάμενοι ἐφύλασσον, ὡς μὴ ἐς τῶν λιμένων τινὰ ἐγκαθορμισθῆναι τῶν πολεμίων* (i. e. Macedonum) *τὸν στόλον*; (fortasse etiam in anab. 2. 20. 9. aliqua imitatio inest, ubi verba exstant haec *ἀντιπρῴροις τριήρεσι πολλαῖς ὁρῶν [Ἀλέξανδρος] πεφραγμένον τὸν ἔσπλουν*). Alter invenitur similiter in anab. 1. 19. 3. Hic enim Nicanor, unus ex Alexandri imperatoribus, Milesiorum inimicorum portum cum militibus suis conclusisse commemoratur *ἀντιπρῴ*

[1]) *βύζην* Suida auctore est *ἀθρόως, πυκνῶς, ἐπαλλήλως.*

ρους βύζην τὰς τριήρεις ὁρμίσαντες ἀποκεκλείκεσαν τὸν λιμένα.

Athenienses, qui Lacedaemonios in Sphacteria insula obsidebant, inopia fontium ducti aquam ad bibendum ea re sibi parabant, quod glaream amoliebantur διαμώμενοι τὸν κάχληκα (4. 26). Haec redolent verba Arriani anab. 6. 23. 3., ubi de piscatoribus supra commemoratis agitur, τούτους τοὺς ἁλιέας ὕδατι ὀλίγῳ διαχρῆσθαι, χαλεπῶς διαμωμένους τὸν κάχληκα.

Cum Lacedaemonii ii, qui in Sphacteria insula erant interclusi, summa necessariorum inopia tenerentur, ὑφ υδροι κολυμβηταὶ (i. e. urinatores) ex Pylo cibum in illam insulam hoste nesciente transtulisse narrat Thucydides (4. 24. 2.). Nec multo aliter Arrianus dicit de Macedonibus illis, qui Tyriarum navium, quae portum clauserant, ancoras divellerunt (anab. 2. 21. 6 ὕφαλοι κολυμβηταί).

De iisdem Lacedaemoniis circumclusis Thucydides 4. 36. 3. ita refert οἱ Λακεδαιμόνιοι βαλλόμενοι ἀμφοτέρωθεν ἤδη — ἀμφίβολοι ἤδη ὄντες ἀντεῖχον, et similia fere habes apud Arrianum de Alexandri Tyrios navibus obsidentis consilio (anab. 2. 23. 3) ὡς πανταχόθεν βαλλομένους τοὺς Τυρίους ἐν τῷ δεινῷ ἀμφιβόλους γίγνεσθαι.[1])

Postremum investigemus Thucydideam Plataearum obsidionis descriptionem quanto opere a nostro expilata sit. Ac primum quidem si Tyri urbis ab Alexandro obsessae narrationem inquirimus, duo nobis loci occurrunt ex illa excerpti. In anab. 2. 18. 6. enim de turribus Alexandri haec feruntur προκαλύμματα δὲ δέῤῥεις καὶ διφθέραι αὐτοῖς (i. e. πύργοις) ἦσαν, ὡς μήτε πυρφόροις βέλεσιν ἀπὸ τοῦ τείχους βάλλεσθαι, τοῖς τε ἐργαζομένοις προβολὴν ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι πρὸς τὰ τοξεύματα. Quae verba sine dubio deprompta sunt ex Thucydidis l. 2. 75 4 καὶ προκαλύμματα εἶχε δέῤῥεις (sc. τὸ οἰκόδημα τῶν Πλαταιῶν) καὶ διφθέρας, ὥστε

[1]) Ad hunc locum infra nonnulla mihi adnotanda sunt.

τοὺς ἐργαζομένους καὶ τα ξύλα μήτε πυρφόροις οἰστοῖς βάλλεσθαι ἐν ἀσφαλείᾳ τε εἶναι. — Deinde de huius aedificii casu Thucydides ita narrat 2. 76. 3 *τοῦ μεγάλου οἰκοδήμητος ἐπὶ μέγα κατέσεισε* (sc. *μία μηχανὴ* Lacedaemoniorum). In his quoque illum secutus Arrianus de Tyriorum muro ab Alexandro magnam partem labefactato ita scribit *κατέσεισε* (Alexander) *τοῦ τείχους ἐπὶ μέγα.*[1])

Praeter hos duos locos etiam nonnulla singula in universum rara vocabula inveni, quae eadem in Plataearum et in Tyri obsessionibus describendis exstant, ut *προσχωσις* in Th. 2. 77. 2. — Arr. anab. 2. 18. 5., *ξυνδεσμός* in Th. 2. 75. 3., — Arr. anab. 2. 18. 3.

Proximum, quod ex Thucydidis l. 2. 76. 3. desumptum esse contendimus, enuntiatum paulo post in Gazae obsessae descriptione pluribus ex illo Thucydideo loco additis repetitum esse videmus. Exstant enim in anab. 2. 27. haec verba *αἱ μηχαναὶ ἐποιήθησαν καὶ ἐπαχθεῖσαι κατὰ τὸ χῶμα κατέσεισαν τοῦ τείχους ἐπὶ πολύ.* Et in Thucydide legitur *τοῦ μεγάλου οἰκοδήματος κατὰ τὸ χῶμα προσαχθεῖσα* (sc. *μηχανὴ*) *ἐπι μέγα κατέσεισεν.* — Sed etiam altera imitatio in hac descriptione perspicua est. Ea enim re, quod Plataeenses cuniculos agebant, agger Lacedaemoniorum in eam partem, quae excavabatur, semper subsidens cadebat *ὑπονόμον ἐκ τῆς πόλεως ὀρύξαντες* (Plataeenses) — *ἱζάνοντος* (*τοῦ χώματος τῶν Λακεδαιμονίων*) *ἀεὶ ἐπὶ τὸ κενούμενον.* Idem factum esse in Gazae obsessione narrat Arrianus iisdem fere verbis usus *ὑπονόμων ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ὀρυσσομένων* (a Macedonibus) — *ὑφιζάνον* (*τὸ τεῖχος*) *κατὰ τὸ κενούμενον* (anab. 2. 27. 4.).

Si eorum, quae diximus, summam facimus, Arrianum praeter multas communes structuras atque collocationes

[1]) Quam constructionem — pendet genitivus *τοῦ τείχους* ex *ἐπὶ μέγα* — in animo habens Pflugkius mea quidem sententia recte verba *κατεσείσθη τὸ τεῖχος ἐπὶ μέγα* (anab. 2. 22. 7.) corrigit in *κατεσείσθη τοῦ τείχους ἐπὶ μέγα.*

non solum in singulis propriis vocabulis, singulis locutionibus adhibendis Thucydidem imitatum esse sed etiam totos locos, tota fere enuntiata ex eo exscripsisse elucet. Has vero imitationes si quis putat semper felices, semper esse elegantes nos quidem assentientes non habebit. Duo saltem loci nobis occurrunt, de quibus, quia mentem Thucydidis Arrianus non perspexit, iure contrarium iudicare possimus.

Hoc nunc demonstrandum est.

Pertractemus primum locos illos, quos iam supra diximus ita inter se congruere ut alterum ex altero pendere nequaquam negari possit, Th. 4. 36. 3 *οἱ Λακεδαιμόνιοι βαλλόμενοι ἀμφοτέρωθεν ἤδη — — — ἀμφίβολοι ἤδη ὄντες ἀντεῖχον* et Arr. anab. 2. 23. 3 *ὡς πανταχόθεν βαλλομένους τοὺς Τυρίους ἐν τῷ δεινῷ ἀμφιβόλους γίγνεσθαι.* Consideranti enim mediocriter locum Thucydideum facile patet, verba *ἀμφίβολοι ἤδη ὄντες* multis aliis interpositis solum verborum *βαλλόμενοι ἀμφοτέρωθεν ἤδη* repetitionem praebere. Arrianus vero hanc structuram non intellexisse, sed Thucydidem locutione *ἀμφίβολοι ὄντες* exprimere voluisse: „nescientes quo eant“ (scil. Lacedaemonii) putassê videtur.

Alter locus est Arr. anab. 1. 12. 2. — Thucydides enim in l. 1. 97. sese res gestas illas, quae inter bellum Persicum et Peloponnesiacum accidissent, idcirco digressione facta conscripsisse explanat, quia omnes scriptores superiores totum hunc locum neglexissent. Dicit enim *ἔγραψα δὲ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν*[1]) *τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τόδε ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον* (i. e. *ἡ πεντηκονταετία*). Quo cum loco si illa Arriani verba, quae in anab. 1. 12. 2. exstant, comparamus, nostrum illa imitatum esse statim perspicimus. Narrato enim, Alexandrum felicissimum habuisse Achillem, cui Homerus fuisset praeco, ita pergit *καὶ μέντοι καὶ ἦν Ἀλεξάνδρῳ οὐχ ἥκιστα τούτου ἕνεκα εὐδαιμονιστέος Ἀ-*

[1]) de hoc vocabulo vide supra.

χιλλεύς, ὅτι αὐτῷ γε Ἀλεξάνδρῳ, οὐ κατὰ τὴν ἄλλην ἐπιτυχίαν, τὸ χωρίον τοῦτο ἐκλιπὲς ξυνέβη; id est latine: Alexandro felix habendus erat Achilles propterea quia Alexandro non pro reliqua felicitate hic locus (i. e. descriptio rerum gestarum) accidit. Perspicua igitur est haec imitatio, sed inelegantissima. Nam locutiones illae *ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον* et *τὸ χωρίον τοῦτο ἐκλιπὲς ξυνέβη* sensum habent maxime diversum; altera enim, Thucydidea, significat recte: „totus hic locus neglectus, omnino minus tractatus erat" (verbum *ἐκλιπές* igitur propriam hic habet significationem), in altera vero, Arrianea, sensus exstat hic: „totus hic locus (i. e. descriptio rerum Alexandri gestarum) est quidem saepissime tractatus, neque vero satis digne (scil. rerum ejus gestarum). Sed si quis putaverit, in his verbis eandem inesse significationem posse, quam illa Thucydidea verba recte habent, is certe refellitur iis, quae leguntur in praefatione, praecipue enuntiato, quod ibi exstat, hoc: *οὐδ᾽ ἔστιν ὑπὲρ ὅτου πλείονες ἀνέγραψαν.*

Sed cum tota haec paragraphus ita, ut etiam nunc in editionibus exstat, ab auctore ipso nequaquam posita esse possit, plura de ea disserere ratione critica adhibita nunc nobis liceat. In editionibus enim nunc ita legitur: *τὸ χωρίον τοῦτο ἐκλιπὲς ξυνέβη οὐδὲ ἐξηνέχθη ἐς ἀνθρώπους τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα ἐπαξίως· οὔτ᾽ οὖν καταλογάδην οὔτε τις ἐν μέτρῳ ἐποίησεν, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐν μέλει ᾔσθη Ἀλέξανδρος, ἐν ὅτῳ Ἱέρωντε καὶ Γέλων καὶ Θήρων καὶ πολλοὶ ἄλλοι οὐδέντι Ἀλεξάνδρῳ ἐπεοικότες, ὥστε πολὺ μεῖον γιγνώσκεται τὰ Ἀλεξάνδρου ἢ τὰ φαυλότατα τῶν πάλαι ἔργων.* Haec verba omnia non modo inter se sed etiam praefationi contradicunt. Nam primum quomodo auctor, postquam res Alexandri gestas non satis digne a scriptoribus esse tractatas modo exposuit, eas literis omnino non mandatas esse posteris dicere potuit? Deinde quis est qui sensum praefationis cum hac paragrapho coniungere audeat? Certe nemo! Haec igitur lectio est falsa atque absurda. Atque ad haec, quae in hoc loco insunt, menda corrigenda duae exstiterunt emendationes: altera a Schmie-

dero profecta, altera a Kruegero. Schmieder enim verba οὔτ' οὖν usque ad ἐπεοικότες ut ab altera manu inserta deleri vult. Concedendum quidem est, hoc modo totum sensum optime restitutum esse. Attamen non crediderim, opinionem doctissimi illius viri rectam fuisse. Num enim est probabile, eum qui illa inseruit, etsi Hieronis, Gelonis, Theronis ceterorumque praecones non ignorabat, tamen literarum et Graecarum et Romanarum tam expertem fuisse, ut quot rerum Alexandri gestarum scriptores fuissent, in memoria non teneret? Num credibile est, eum tam exigua usum esse memoria, ut quae in praefatione aperte dicta erant, prorsus oblitus esset? Minime! Coacti igitur sumus, donec melior a doctiore viro profecta sit emendatio, Kruegeri sententiam sequi; is enim colo post ἐπαξίως deleto vocabulum καταλογάδην non ad ἐποίησεν sed ad ἐπαξίως refert. Ita optime omnes huius loci difficultates superantur.

Corollarium.

Cum huius libelli de Arriano Thucydidio conscribendi initium faciebam, Koechlium secutus libri, qui inscribitur Ἀρριανοῦ τέχνη τακτική, capita I. usque ad XXXII. 2. non ab Arriano, sed ab Aeliano conscripta esse putavi. Contra hanc opinionem nuper exstitit Riccardus Foerster atque Arrianum, non Aelianum illorum quoque capitum auctorem fuisse contendit.[1]) Ad hanc sententiam confirmandam permultas atque tam subtiles attulit causas, ut una quaeque per se ea, quae Koechlius demonstrare voluit, refellerre possit. Sed quae gravissimae esse videntur eas nunc proferam.

Ac primum quidem cetera scripta Arrianea accurrate perlegenti in elocutione multa apparent, quae nullo dubio Arriani propria habenda sint. Easdem autem proprietates magnam partem etiam illa capita ita exhibent, ut ea ab eodem scriptore ac cetera profecta esse maxime sit verisimile. Exempla huius rei Foerster affert permulta:

---

[1]) Herm., vol. XII. pag. 426 usque ad 449.

δυσίν Tact. 14. 4. — Anab 3. 25. 6., 4. 3. 1.

δαημονέστατος Tact. 13. 1. — Anab. 7. 28. 2., δαήμων 4. 28. 4., Ind. 18. 1, 32. 7.

ἀλκή Tact. 14. 8. — Anab. 1. 8. 8., 3. 21. 9., 24. 2., 6. 4. 2., 6. 3. Cyn. 36. 2. secundum Herodotum.

ἀμφιγνοέω Tact. 5. 2. — Anab. 2. 12. 6.

ἐπασκεῖν Tact. 18. 4., 22. 2., 22. 4. — Anab. 5. 8. 1.

διαχρῆσθαι = uti Tact. 2. 8., 12., 13., 17. 1., 22. 2. — Anab. 4. 27. 3.

ἵνα, ἵναπερ = ubi Tact. 7. 3., 15. 1., 25. 1., — Anab. 2. 7. 3., 21. 7., 4. 8. 9. et cet. Ind. 19. 3. et cet.

τυχόν = fortasse Tact. 5. 2., 22. 5. — Anab. 1. 10. 6., 2. 6. 6. et cet.

ὑπέρ = περί c. gen. Tact. 1. 2., 1. 3., 5. 2. et cet. — Anab. prooem 3., 7. 12. 6. et cet.

περί c. dat, Tact. 25. 5. — Anab. 1. 22: 6., 27. 1. et cet. Ind. 16. 11. et cet.

ἔστε ἐπί = usque ad Tact. 4. 1. et cet. — Anab. 1. 7. 8., praecipue in Ind.

ὅτι μή = praeter Tact. 22. 5. — Anab. 1. 1. 4. et cet Cyn. 2. 1. et cet.

πλήν γε δή Tact. 22. 2. — Anab. 5. 1. 2., 7. 1. 6. et cet. Ind. 6. 9., 40. 9. Cyn. 3. 5. Peripl. 8. 5.

Deinde idem demonstrat, nonnullas locutiones, quae exstant in illa parte huius libri, quam etiam Koechlius concedit ab Arriano scriptam esse (32. 2. usque ad finem), easdem in prima parte inveniri, ut:

ἑνί τε λόγῳ Tact. 17. 3., - Tact. 36. 2. καὶ ἑνὶ λόγῳ 44. 2.

ἐκ παλαιοῦ Tact. 22. 1. — Tact. 44. 1. (cf. Anab. 5. 8. 1., 5. 18. 7.)

ἐκλελειμμένος Tact. 22. 1. — Tact. 44. 2.

Postremum id, quod mea quidem sententia maximum est, si earundem imitationum, quas Arrianum ex cognitione

Thucydidis fecisse supra demonstravimus, multae etiam in hac parte illius libri exstant, facere non possumus, quin Riccardi Foerster sententiae assentiamur. Quae sunt:

ἀξίωσις pro ἀξίωμα Tact. 12. 4. — Tact 34. 2., Anab. 3. 26. 4., 5. 27. 3. et cet. ex Thucyd. 2. 34. 3., 1. 138. 2. et cet.[1])

δέχεσθαι ὀξέως τὰ παραγγελλόμενα Tact. 5. 1., τὰ παραγγέλματα ὀξέως δέχεσθαι Tact. 27. 1. — Anab. 1. 6. 1 τὸ παραγγελλόμενον ὀξέως δέχεσθαι, 3. 9. 8. ὀξέως κατακούειν τῶν παραγγελλομένων ex Th. 2 11. 6.[2])

Genitivus infinitivi vim consecutionis habens Tact. 2. 5. — Anab. 1. 1. 9. et cet. ex Thucydide.[3])

ἴσα καὶ adv. Tact. 31. 5. κλαγγῇ καὶ ἐνοπῇ φησὶν ἰέναι τοὺς Τρῶας ἴσα καὶ ὄρνιθας. — Anab. 3. 27. 5. et Th. 3. 14. 1.[4])

Hoc loco mihi occasio oblata est, Riccardo Foerster, quia me in hoc libello conscribendo semper summa cum humanitate adjuvit, gratias agere quam maximas.

---

[1]) cf. huius libelli pag. 12.

[2]) cf. h. l. pag. 27.

[3]) cf. h. l. pag. 7.

[4]) Accusativus, quia hoc loco, ut in Th. exstat, etiam in anab. 3. 27. 5. requiritur, cf. h. l. pag. 23.